

**Sermo**

cadent de celo. et virtutes celorum immo-  
uebuntur. et tunc apparebit signum fi-  
lij hominis in celo. et tunc plangent om-  
nes fines terre. et videbunt filium ho-  
minis venientem in nubibus celi cum  
virtute multa et maiestate. Et mittet  
angelos suos cum tuba et voce magna  
et congregabunt electos eius a quatuor  
ventis celi a summis celorum usque ad  
terminos eorum. Ab arbore autem ficus  
discite parabolam cum iam ramus eius  
tener fuerit et folia nata: scitis quod prope  
est aestas. Ita et vos cum videritis hec om-  
nia: scitote quod prope est in ianuis. Amen  
dico vobis. quod non preteribit generatio  
hec donec omnia fiant. Celi et terra tran-  
sibunt verba vero mea non preteribunt

**Sermo. Cx. de evangelio.**

**Q**uate ne fuga vestra  
fiat hyeme vel sabbato. hec  
est vltima dominica et preor-  
dina est ante aduentum domini. eo quod in  
ipsa agitur de aduentu antixpi qui in  
hoc evangelio nominatur abhoiatio de  
solacis. Ab apostolo enim. ij. thimo. ij.  
vocat homo peccati et filius perditio-  
nis. et ita quatuor nominibus designatur  
Primo enim dicitur antixpus. ab anti-  
quod est contra: quasi contrarius christo quod  
sicut apostolus ait. Aduersarius extol-  
letur supra omne quod dicitur aut colitur  
deus. Danielis. xi. Eleuabitur et ma-  
gnificabitur aduersus omnem deum deo-  
rum. loquetur magnifica.  
Secundo dicitur abhoiatio desolati-  
onis. quia per ipsum abhominabilis  
erit. et desolabitur ecclesia. Destruet  
enim omnem cultum ecclesiasticum. et re-  
stituet cultum iudaycum. ita ut cogat

**centesimus decimus**

homines circumcidi: et sabbatum ob-  
seruare.

**T**ercio dicitur homo peccati. id est  
plenus peccato. quia sicut in christo  
fuit omnis plenitudo gratie: ita in an-  
tixpo erit omnis plenitudo mali-  
cie.

**Q**uarto dicitur filius perditionis. i.  
dyabolus. non sicut alij mali: sed speci-  
ali modo. quia postquam concipietur de  
scendet spiritus malignus in utero ma-  
tris sue. Duer autem nascetur et aletur  
et adolecet. Nascetur autem in babi-  
lone de tribu dan. propter quod illa  
tribus non annumeratur in numero  
signatorum Apocalipsis. vii. Loqui-  
tur dominus in presenti euangelio de  
persecutionibus antixpi. et hortatur  
nos ad tria in autoritate preposita.

Ad orationem. Ad fugam. et cautela  
Nam determinando tempus in quo  
non est fugiendum: relinquit fugien-  
dum esse nobis in alio tempore. sicut  
prohibens dominus ne comederet de ligno  
scie: inuit quod alijs debebat comedere

**P**rimo igitur hortatur nos ad orandum  
contra illa terribilia que erunt in fine  
mundi. Quorum primum erit violentia  
antixpi in persecutione fidelium. De  
qua dicitur. Erunt tunc tribulatio ma-  
gna qualis non fuit ab initio etc.

Tanta namque et tam immania inferen-  
tur tormenta: ut hoc solum sit mira-  
bile fideles ea posse sustinere. Nam  
ille inuentor malorum inaudita et in-  
opinata excogitabit supplicia. quorum  
respectu lenia videbuntur quecumque  
martires passi sunt tempore pagano-  
rum. Similiter habet danielis xij.

**V**eniet tempus quale non fuit ex  
eo quo gentes esse ceperunt. Multi